

*illa, non æqvè expeditum judicatu est. Multi regulam hanc quæ-
runt in lege ac voluntate divinâ, non pauci in jure naturali, ac rectâ
ratione. De quorum opinionibus quid habendum sit, breviter nunc
declarabo. Initio autè præmoneo, me ne utiquam inquirere (1) ex-
trinsecam moralitatis normam & regulam, sed internam, (2) non re-
motam & mediatam; sed proximam & immediatam, (3) non partia-
lem & inadæquatam; sed totalem & adæquatam. Jam quod attinet
divinam legem, ea vel æterna est, vel in tempore revelata. Prior est
mensura seu summa ratio in divinâ mente ab æterno concepta, de mundi
regendi modo, & dirigendi omnes actus creaturarum, definiente B.
Meisnero 2. de L. L. quest. 1. Posterior est æterna & immota sapientia,
& regula justitiæ, hominibus per Moysen patefacta, & à Christo repeti-
ta, omnium nostrorum actionum perfectam sanctitatem & obedi-
entiam erga Deum & proximum requirens, & contraria prohibens, &c.
Utrique equidem potest dici regula remota & extrinseca A. M. non
autem proxima & intrinseca. Est n. extra hominem constituta, nec
voluntati humanæ, tanquam normato, homogenea quod tamen
ad mensuram proximam oppidò requiritur. Idem ferme habend-
um de Voluntate divinâ: nam & ea extra hominem est, diverseq;
nature à dirigendo.*

XVI. Remanet itaque ultima sententia, quod *regula rectitu-
dinis A. M. sit recta ratio, s. rectum rationis judicium.* Nam ad ejus
indolem atque ingenium proximè & immediatè exigitur omnis
bonitas atque malitia moralis, requisita quoque normæ in re-
spectu ad A. M. huic exactè conveniunt. (1) n. est notior normato,
quod nemo facilè vocabit in dubium (2) est homogenea eidem &
proportionata, cum intra ipsum hominem sit & ab intellectivâ ejus
potentiâ oriatur (3) est infallibilis & certa, ut prolixè illud probat
Hornei. lib. 2. Et b. cap. 2. (4) est una & indivisibilis, ita ut eidem nihil
addi aut demi possit. Ceterùm recta ratio nō dicitur ipsa rationa-
lis anima, aut ejus intelligendi facultas. Regula n. debet esse infalli-
bilis, intellectus a. multis sæpe erroribus est obnoxius; sed *rectum
rationis judicium, ac practicum* illud, quod ex principiis practicis
est deductum, uno verbo, *jus naturale.* Nec n. inter hæc duo dif-
ferentia patet, cum utrumq; principia practica suggerat, quæ
actum moralem honestum præcipiunt, turpem prohibent. Quod
si hujus normæ, hominum mentibus insitæ, ultimum principium
atque originem indagare libeat, *ad sanctitatem atq; justitiam*
B 2 divi-